

vt spiritu attrahere æger non possit. Aëris quoque ambientis malitia, nec non venenatus humor vel vapor ex aliqua corporis parte, vel intrinsecus cordi communicatus aut stomacho: item inflammatio & reliqua huiusmodi quæ immodicè alterare vel corrumpere possunt cordis, vel stomachi, vel spirituum intemperiem, syncope quoque frequenter inducunt, cum virium robur consistat in earundem partium bona constitutione. Spiritus quoque soli prædicto modo læsi, affectionem suam principibus partibus, illisque consentientibus, communicant, earumque temperiem infringunt, sic syncope irruit periculosa, sæpe quidem mortalis, cui sudor concurrat magna ex parte. Atque hoc symptoma potiore quasi partium morientium inuoluit. Subitò autem vires, quæ in spiritibus, nõ in temperamento partium solidarum quasi habitant, labuntur; aut propter spirituum defectum, aut eorundem alterationem, aut ob eorum corruptionem, aut propter partium solidarum temperamenti destructionem, quod morbi tam acuti quàm diuturni sæpe efficiunt.

PROGNOSTICA. Si syncope correpti caput in humeros aut thoracem delabatur, pulsus atque respiratio aboleatur, fac. èsque fuerit viridis, nigra vel liuida, sumptoque medicamento sternutatorio conuenienti frustra, iam præsens adest exitium. Qui sæpe & subitò exoluuntur sine causa manifesta, ne subitò moriantur, periclitantur. Quando causæ syncopen accersentes non fuerint fortes, tremorè sæpe, cum verò multum fortes fuerint, syncopen inducunt; si verò magis adhuc increscant, tandem mortem immittunt. Syncope ex animi affectibus inducta, nequaquam mortalis est, si robur sit validum. Quemadmodum syncope ex cerebri intemperie orta, grauior erit quàm si ex iecore originem haberet, sic quoque si ex cordis intemperie fiat, deterior est quàm si ex cerebro id fieret intemperato, aut stomacho.

Q